Quelle: https://manuscripta.at/?ID=793
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Audistis enim conuersationem meam aliquando in iudaismo. quoniam supra modum persequebar ecclesiam dei et expugnabam illam et proficiebam in iudaismo supra multos coetaneos meos in genere meo. habundantius emulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei qui me segregauit de utero matris mee et uocauit per gratiam suam ut reuelaret filium suum in me. ut euangelizarem illum in gentibus continuo non acquieui carni et sanguini neque ueni hierusalem ad antecessores meos apostolos. sed abii in arabiam et iterum reuersus sum damascum deinde post annos tres ueni hierusalem uidere petrum, et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem apostolorum neminem uidi. nisi iacobum fratrem domini. Quae autem scribo uobis. ecce coram deo quia non mentior. Nullo t. Dixit symon petrus Mathm ad ihm, Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Jhs autem dixit illis: Amen dico uobis quod uos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae sedebitis et uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus israel Et omnis qui reliquerit domum uel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut agros propter n.